



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ivlii Cæsaris|| Scaligeri|| Epistolæ|| &|| Orationes||**

**Scaliger, Julius Caesar**

**Lugduni Batavorum, 1600**

Ivlio Cæsari Scaligero Medicorum omnium facile principi Ioannes Corasivs  
Tolosas S. P. D. LXVIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70455)

*Illustrissimo ac eruditissimo viro*  
 IULIO CÆSARI SCALIGERO  
*Medicorum omnium facile principi*  
 IOANNES CORASIVS TOLOSAS  
 S.P.D. LXVIII.

**N**E QVE tu me, SCALIGER doctissime,  
 neque ego te, quod sciam, vnquam vi-  
 di. mihi tamen tu notior, quam ego tibi,  
 propterea quod nihil dum forsitan de me  
 audieris. Ego vero a MINVTIO tuo, vel, si  
 pateris, nostro: FERRERIO medico, aliisque  
 doctissimis grauissimisque viris multa de te  
 cum summa tua laude accepi. Narrauerunt  
 enim de toto cursu studiorum tuorum, de  
 ingenio tuo, de iudicio, de eloquentia, & in  
 literis assiduitate, quæ nolo referre singula,  
 ne videar velle pudorem tuum prouocare,  
 si de te apud te. Ea sane, quæ narrabant, eius-  
 modi fuerunt, vt magnū mihi desiderium  
 iniecerint tui cognoscendi: quod cum de  
 facie, per occupationes publicas non liceret:  
 ineptis meis literis doctas tuas aures vltro  
 obtundere non erubui, quo præterea te  
 etiam atque etiam rogarem, vt scrupulum  
 eximeres, qui doctissimos quosque istius ci-  
 uitatis viros diu male habuit, atq. etiam-  
 num.

num habet. Is autem in quodam Epicteti responso, delirefcit. quærenti enim Adriano, *Quid est homo?* Epictetus in hæc verba satisfacit: *Balneo similis. prima cella, tepidaria, unctuaris, infans natus perungitur. secunda cella sudatoria est. tertia cella, assa perferentaria, inuentus. quarta cella, frigidaria, senectus, omnibus equat sententiam.* Equidem nihil in hoc responsi legi, quod me non affecutum putem, præter vnam dictionem *Perferentaria*, in eruenda cuius significatione, Delionatore opus esse video. vt vt enim assorum, ad Q. Fatrem meminert Cicero, & de assis sudationibus Cornelius Celsus verba faciat: Balneaque Galenus, Palladius & Vitruuius scitissime distinguant: *Perferentarios* item milites, & amicos, Varro, Plautus, Sallustius, cæterique probati auctores passim vsurpent, ex eorum tamen scriptis (vt mihi quidem videtur) eiusce dictionis sensus haud quaquam elici potest. Tu igitur, eruditissime SCALIGER, qui splendida & illustri stirpe editus, totus natura generosus, te omnibus communicas, neminemque aspernaris, vt omnibus pro sis: cura, obsecro, ne diutius animi angamur. periculum enim est, ne in tam graui, scopuloso, difficilique loco versantes, præfocemur tandem mergamur.

P

gamur

gamurque: sed ex intima doctrina tua mirificum aliquod interpretationis genus deprome, quo in vtramvis aurem otiose demiceps quiescamus. Te iterum per tuam virtutem & bonitatem obtestor, vt si quid apud te literarum studiosi gratia valent, id totum effundas in hoc obice dissoluendo. Quod si feceris, in perpetuum me tibi deuincies, qui aliquando de scripto etiam gloriabor, id boni abs te mihi contigisse. Vale vnicum Transalpinæ Galliæ decus. Tolosæ, ex adibus nostris XVI I I. Cal. Febr. M. D. LVII.

*Illustrissimo Iuriconsultorum*

IOANNI CORASIO SENATORI  
*Tolosano. LXIX.*

CUM tam clara sit tuorum erga iuriprudentiam magnitudo meritorum, vt & præsentis & superioris sæculi gloriam non solum æquaris, verum etiam superaris, non potuit tam luculenta fama vel apud me tametsi aliis districtum, atque attentum operibus, etiam in hac literarum solitudine non illustris esse. Quamobrem cõtra, quam scribis, factum est, vt tu mihi notior esses, quam ego tibi: & sane vnus aut alter tum raro, tum sero, de me tibi narrauit ea, quæ vel amicitia suaferat, vel etiam necessitudo.

At